

habent omnes condicionea quae a Clem. X (l. c.) ponuntur et a Trid. (Sess. 24. c. 11. de ref.) exiguntur ut exemptionem participant, scil. ut "actu Regularibus serviant et inter eorum septa ac domos resideant subque eorum oboedientia vivant." Non veniunt hoc nomine ii saeculares qui, habitationem extra monasterium habentes, in isto tantum laborare solent, multo minus advenae in eodem infirmantes, ut patet e decisionibus S. C. C. quas videsis ap. Ferraris. (Bibl. can. v. *Approbatio*, n. 66-70)

2º Utrumque probabiliter controvertitur num idem dicendum sit de alumnis Regularium convictoribus.

Negant multi cum Lugo (Resp. Mor. l. 4. dub. 33) (1), Tamburini (De Sacr. l. 5. c. 5. § 2. n. 4) etc., quorum praecipua ratio est: non verificari in iis convictoribus condicionea a Trid. requisitas, siquidem non inserviunt Regularibus, sed potius ipsis inservit in spiritualibus et temporalibus. Affirmant alii, ut Bordonus (Res. 38. q. 5), Gury (II. n. 564), Lehmk. (II. n. 396, saltem ut probabile), Avanzini (Act. S. S. t. 3. p. 61), etc. Rationem valde verisimilem afferunt: hos convictores non minus arte cum Regularibus conjungi quam famulos inservientes. Quodsi verba Trid. minus commode iis applicantur, plene implent condicionea quae solae, tamquam aequivalentes, a Clem. X ponuntur: nam "sunt vere de familia et continui commensales." Id tamen non videtur extendendum ad domos quae non sunt vere regulares, sed Regularibus committuntur, puta Seminarium episcopale: haec enim non sunt, quod postulat idem Clem. X, collegia ubi juxta regularia instituta vivitur, sed potius domus saecularium, in quibus aliqui Regulares vivunt. Insper hoc privilegium concessum est pluribus Ordinibus et Congregationibus religiosis, ac proinde probabiliter ad reliquos per communicationem transiit (Gasp. de Euch. II. n. 1073); alii tamen communicari negant, quia laedit jus parochi et episcopi. (Piat. op. cit. t. II. p. 178)

Adverte hanc facultatem minime extendi ad discipulos Regularium externos, ac proinde si qua jura parochialia in eos exercent Regulares, id unice speciali S. Sedi vel episcoporum concessioni tribuendum esse. Videsis Stat. Syn. Mech. n. 154 et App. XXIII. Neque ad religiosas Congregationes pertinet potestas hic certo vel probabiliter asserta Regularibus: ad eas enim non pertingit communicatio privilegiorum nisi eam speciali concessione obtinuerint. Quandoque tamen hujusmodi privilegia a S. Sede directe obtinuerunt Congregationes religiosae, puta pro alumnis seminiorum sibi commissorum.

(1) Lugo tamen, censem convictoribus, qui in collegia vere regularia recipiuntur (ut solet fieri in Belgio), propter privilegiorum communicationem, dari posse extremam unctionem et forte Viaticum. (l. c. n. 7)

§ 7. DE JURISDICTIONE RESPECTU MONIALIUM.

339. I. In singulis monasteriis monialium unus constituendus est confessarius ordinarius. Hic speciali approbatione episcopi loci indiget ad earum confessiones audiendas, ut patet praesertim ex Const. Gregor. XV *Inscrutabili* (5 Febr. 1622). "Confessores, sive saeculares, sive regulares, quomodocumque exempti, tam ordinarii quam extraordinarii, ad confessiones monialium, etiam Regularibus subjectarum, audiendas, nullatenus deputari valeant, nisi prius ab episcopo dioecesanoidonei judicentur et approbationem, quae gratis concedatur, obtineant." Nullus ergo confessarius valide monialium confessionem excipere potest, nisi vel speciatim pro istis, vel generatim pro omnibus ejusdem diocesis monialibus approbatus sit. Ita declaravit Clemens X (cit. Const. *Superna*): "Generaliter approbatos ab episcopo ad personarum saecularium confessiones audiendas, nequaquam censerit approbatos ad audiendas confessiones monialium sibi subjectarum, sed egere quoad hoc speciali episcopi approbatione. Atque approbatum pro audiendis confessionibus monialium unius monasterii minime posse audire confessiones monialium alterius monasterii." Multa de ratione constituendi hos confessarios ordinarios decrevit S. Sedes et disputant Canonistae. Haec omittemus, tum quia ad forum externum pertinent, tum quia in regionibus nostris jam non reperiuntur moniales votorum sollempnium, ac proinde plura quae sancita sunt de monialibus jurisdictioni Regularium subjectis, hic a praxi aliena sunt. (n. 85)

Immo, spectatis tantum Apostolicis Constitutionibus, haec necessitas specialis approbationis ad excipiendas monialium confessiones non pertineret ad moniales Belgii, Galliae et (paucissimis exceptis) Stat. Fod. Amer. Etenim hae omnes, in sensu omnino stricto, monialium nomine non veniunt. Sed eadem leges, suadente S. Sede, ab episcopis applicari solent nostrarum regionum monialibus. (1) Quare invalidae erunt confessiones etiam monialium quae simplicia tantum vota edidere, nisi sacerdos speciale illam facultatem audiendi moniales obtinuerit quam episcopi, concedendo approbationem, excipere solent, ut diserte in pluribus statutis synodalibus declaratur. Valide tamen confessiones monialium paroeciam suam incolentium audit parochus: quippe qui ex munere suo approbatus sit ad excipiendas confessiones eorum omnium qui paroeciam incolunt, neque exemptione gaudent. Insper, ex declaratione S. C. Ep. et Reg. (2 Apr. 1872), Sorores Congregationum quae

(1) Videsis Stat. Syn. Mech. n. 280; Conc. Baltim. III. n. 96 seqq.

extra clausuram vivunt et in parochiali templo sacramenta suscipiunt, possunt ibidem confiteri cuilibet confessario approbatu ab Ordinario.

340. II. Moniales strictae clausurae subjectae possunt confiteri apud quemlibet sacerdotem ab Ordinario loci approbatum, quamdui extra monasterium legitime versantur, ut patet e responso S. C. Ep. et Reg. (27 Aug. 1852) Nam interrogata num moniales quae, ratione sanitatis vel alia causa, obtinent veniam egrediendi ad breve tempus e monasterio suo, possint exomologesim suam facere apud confessarios approbatos pro utroque sexu, quamvis non approbatos pro monialibus, respondit : "Affirmative, durante mora extra monasterium."

Idem, ob analogiam, dicendum de monialibus votorum simplicium quas episcopus iisdem legibus specialibus subjicit, nisi forte episcopus diserte mentem suam expressisset, ut invalide confiterentur apud confessarium speciali facultate carentem Sorores quae extra monasterium versentur.

Nec obstat, quod communiter accidit, eas momentanee extra monasterium versari. (Lehmk. II. n. 399) Nam haec diurna mora extra monasterium paucis tantum monialibus contingit; insuper ab aequitate alienum videtur, sine expresso legis textu, severiorem normam statuere de monialibus improprie dictis quam de reliquis. (1)

III. Praeter ordinarium confessarium, **extraordinarius** bis aut ter in anno monialibus offerendus est, ex decreto Trid. (Sess. 25. de Reg. c. 10) Nihil autem prohibet quominus saepius in anni decursu offeratur, puta circa singula Quatuor-Tempora juxta probatam consuetudinem. (Stat. Mechl. n. 278) Hunc adire tenentur omnes moniales ne, si paucae tantum adirent, eae quibus reapse ejus subsidio opus esset, pudore deterrentur; ad confessionem vero apud eum instituendam minime obligantur, ut declaravit Bened. XIV. (Const. *Pastoralis*, 15 Aug. 1748)

Quamvis haec designatio confessarii extraordinarii per se ad solas moniales claustrales pertineat, Bened. XIV. (Const. cit.) enixe hortatur episcopos ut eamdem facultatem praebent omnibus piarum mulierum aut puellarum coetibus qui unum ordinarium confessarium, ab Ordinario designatum, habent.

(1) In quibusdam dioecesis, ut in Mechl. (Stat. Syn. n. 280 et App. XXIV), Ordinarius declaravit moniales quae legitime extra monasterium versantur, valide confiteri apud quemlibet confessarium approbatum; eas tamen confessiones licitas fore tantum quando factae fuerint permittente regula vel probata consuetudine singularum Congregationum.

341. IV. Jam Bened. XIV (Const. cit.) aliquot casus designaverat in quibus moniali cuidam in particulari concedendus esset confessarius, qui non esset in hoc monasterio ordinarius. Has facultates confirmavit et auxit Leo PP. XIII per decretum S. C. Ep. et Reg. 17 Dec. 1890, de quo jam dictum est n. 89. Jamvero ibi (n. IV) legimus : "Sanctitas Sua Praesules Superioresque admonet ne extraordinarium subditis denegent confessarium quotiens, ut propriae conscientiae consultant, ad id subditi adigantur, quin iidem Superiores ullo modo petitionis rationem inquirant aut aegre id ferre demonstrent. Ac ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur ut, in locis propriae dioeceseos in quibus mulierum communitates existunt, idoneos sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro sacramento poenitentiae recurrere eae facile queant." (1) Quomodo haec ordinatio sit intellegenda, patebit e sequentibus animadversionibus.

1º Superior, de quo hic, non est ille cuius est concedere confessarium ordinarium, sed qui domui praeest, sive vir, sive femina. (S. C. Ep. et Reg. 17 Aug. 1891; N. R. Th. t. 24. p. 260)

2º Hic Superior tenetur ad indulgendum subdito petenti confessarium extraordinarium, quamvis plane videat necessitatem esse fictam et, vel scrupulis, vel alio mentis defectu, ut veram ab ipso petente apprehensam. Sed monendi sunt subditi, non posse eos extraordinarium confessarium petere, nisi ad id adigantur ut propriae conscientiae consultant. (Resp. cit.) Confessarii vero, si quando cognoscunt non esse probabilem causam ad ipsos recurrendi, tenentur in conscientia ad declinandam confessionem Sororum a quibus ita postularentur. (S. C. Ep. et Reg. 1. Febr. 1892; N. R. Th. l. c. p. 366) His tamen responsis non videtur prohiberi Superior quominus in casu raro confessarium deneget, vel saltem vocare differat donec casum Ordinario exposuerit, puta si subditus adeo scrupulis agitatur ut ejus petitio non videatur actus vere humanus, si constat de inordinato affectu monialis ad petitum confessarium, etc. Ubi enim ex hujusmodi externis adjunctis patet concessionem fore inutilem vel etiam nocivam, Superior denegans nullatenus se ingerit discernendis internis petentium dispositionibus; quod solum videtur periculoso et propterea prorsus prohibitum.

3º Obligatio ista in Superiore ex genere suo gravis est: etenim ex

(1) Iste articulus non videtur directe ad congregaciones virorum, sed ad solas congregaciones mulierum spectare: solae enim mulieres hic commemorantur et subsunt quoad confessionem severis legibus unici confessarii cui valide confiteantur. Attamen tum rerum natura, tum cit. decreti mens manifeste postulant ut similis copia confessarii detur religiosis viris qui, ob regulam vel consuetudinem, habitualiter apud unum eundemque sacerdotem confiteri jubentur. Cfr. Meynard in h. deer. p. 65.

natura rei satis palet notabile detrimentum subdito e denegatione, importuna inquisitione vel exhibita molestia oriri posse. Attamen si morali certitudine constaret Superiori non adesse ullam gravem necessitatem (quod tamen nonnisi raro constare poterit), denegatio vel impudentis animi manifestatio leve peccatum non excederet. (Meynard, in hoc Deer. p. 68)

4º Quinam sacerdotes vocari possint tamquam extraordinarii confessarii, in singulis dioecesibus, e dispositionibus Ordinarii eruendum est. (1) Unum ex illis eligere non pertinet ad Superiorem, sed ad subditum competentem. (Resp. cit. an. 1891)

5º Nequeunt moniales hoc favore uti constanter, ita ut jam ordinarium confessarium non adeant. Si quando abusus hujusmodi praesertim in majorem communitatis partem irreperet, Ordinarius deberet monere moniales illas, facultatem Decreto 17 Dec. 1890 concessam, constituerunt exceptionem legi communi pro casibus dumtaxat verae et absolutae necessitatis, firmo remanente quod a S. Conc. Trid. et Const. *Pastoralis* Bened. XIV praescriptum sit. (Resp. cit. an. 1892)

§ 8. DE JURISDICTIONIS LIMITATIONE PER CASUUM RESERVATIONEM.

Punctum I. De natura et extensione reservationis.

342. I. Reservatio est negatio jurisdictionis circa aliquod peccatum: quod proinde dicitur **casus reservatus**. In Ecclesia vigore potestatem concedendi jurisdictionem ita limitatam, ut atrociora quaedam et graviora crimina tantum a R. P. vel episcopis absolvantur, eamque limitationem vim habere non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo, definivit Trid. (Sess. 14. c. 7. et c. 11) et probare solent Dogmatici.

II. Potestatem reservandi casus per se habent ii omnes et soli qui ordinariam jurisdictionem in foro poenitentiali obtinent: nempe R. P. in universa Ecclesia, episcopus in dioecesi sua, alii qui jurisdictionem quasi-episcopalem exercent, neque ulli Ordinario subsunt, erga suos subditos, ex. gr. abbates *Nullius*, praelati Regulares. Parochis eadem videtur per se competere, quatenus delegare possunt jurisdictionem suam ordinariam cum aliquorum casuum limitatione. Sed vix jurisdictionis delegandae occasionem hodie nanciscuntur (n. 327, IV). et etiam

(1) In archidioec. Mechl. idonei sunt omnes Canonici Capituli Metropolitani, Decani et confessarii ordinarii vel extraordinarii alieujus conuentus monialium. Cfr. *Instructions adressées aux commun. des religieuses*. (1874), c. 2. nn. 4 et 6.

tum hujusmodi limitatio frustranea foret, cum eorum paroecianos ab iis casibus absolvere posset quilibet confessarius ab Ordinario approbatus.

Hac potestate uti debent Superiores ecclesiastici, ita ut sit in aedificationem, non in destructionem. (Trid. l. c.) Quare, e communi sententia, graviter peccant qui, sine rationabili causa, casus reservant. (S. Alph. n. 579) Universim autem magnam moderationem in casibus reservandis S. C. Ep. et Reg. episcopis commendavit (cfr. Bened. XIV, de Syn. l. 5. c. 5), ne nimius sit reservationum numerus, et praesertim, ut ea tantum peccata reserventur quae, juxta Trid. verba (l. c.), sint *atrociora et graviora crimina*. Immo, ad compescendos abusus quorundam praelatorum Regularium, Clemens VIII (Const. *Sanctissimus* 26 Maii 1593; Coll. Bizz. p. 274 seqq.) decrevit, ut nullus ex iis sibi reservet propria auctoritate alios casus praeter undecim quos ibidem enumerat. Quodsi aliquod aliud peccatum reservandum existimaverint, id non aliter fiat quam generalis capitulo in toto Ordine, aut provincialis in provincia, matura discussione et consensu. Hanc constitutionem extendi etiam ad censuras reservatas, declaravit S. C. Ep. et Reg. 7 Jul. 1617. (Bened. XIV, l. c.) Notandum autem undecim illos casus Clementinos non esse reservatos apud Regulares, nisi quatenus id generali lege vel particulari Superioris dispositione in singulis Ordinibus statutum sit.

343. III. Ut peccatum aliquod sit reservatum, requiruntur sequentes condiciones:

1º Ut sit *mortale*. Nam peccata venialia, sive ob parvitatem materiae, sive ob imperfectum consensum, frusta reservarentur, cum nulla sit obligatio ea confitendi. Ideo venialium reservatio, licet absolute loquendo non repugnet, aliena est ab Ecclesiae praxi.

2º Ut sit *externum*. Sane absolute loquendo, potest Ecclesia peccatum mere internum reservare. Sed merito a tali reservatione abstinere solet, eo quod communiter deest illa spiritualis utilitas quae ad prudentem reservationem necessaria est: si enim reus peccatorum internorum non emendabitur, citò progredietur ad peccatum externum. (Lugo, disp. 20. n. 14) Haec autem condicio ita intellegenda est, ut actio mala gravis sit quatenus externa est. Igitur, si reservatur peccatum grave contra castitatem, justitiam, etc., quod in actu externum prodierit, non sunt censenda reservata levia turpiloquia vel tactus leviter turpes, detractiones exiguum damnum inferentes, etc., quamvis ex interno affectu graviter malo procedant.

3º Ut sit *opere consummatum*. Scil. requiritur ut verba reservationis in sensu suo stricto verificantur, eo quod reservatio odiosa est ideoque et strictae interpretationis. Ita, sicubi reservatur incestus vel sodomia, non incurritur casus reservatus si semen extra vas effusum fuit. Cfr.